

1524 quid detrimenti in itinere accideret, consilio mutato, Ticinum revertitur.

Galli, qui victoriam in celeritate reposuerant, instructa acie ad urbem propius accedunt. Cæsareani commeatus quam maximam copiam possunt in arcem invehire jubent; Mediolano egressi Laudensi via proficiscuntur: vix Romana porta exierant, cum per Ticinensem, & Vercellensem Galli ingressi incruenta victoria Mediolano potiti sunt. Constans fuit opinio, ingentem eo die Gallos oblatam rei egregie gerendæ occasionem deseruisse, vehementiorique Mediolani urbis desiderio integra victoriæ laude privatos esse; qui si eodem animi ardore redeuntes ex Provincia Cæsareanos insequuti fuissent, longis itineribus defatigatos, cum plerique arma abiecissent, atque equos amisissent, profligare, ac delere potuissent: ne id fieret, Regis occupandæ urbis desiderium obstitit; cum mortaliū ejusmodi sit ingenium, ut si quando rerum, quas ardenti animo concupivere, compotes fiant, partis detentus animus langueat, & contabescat, ac dum præsentibus fruitur, dispicere futura, vel prævidere nequeat. Ceterum erga Mediolanenses summa Regis clementia enituit, qui nil hostile a militibus fieri passus: ipse, nisi confecto bello, intra moenia contineri decori regio minime convenire arbitratus, ne invisere quidem civitatem voluit. Verum quo potissimum Mediolanum adeptus victorem exercitum duceret, consulto, Ticinum, in quo summum ad profligandum bellum momentum inerat, aggredi statuit, veritus, ne si a tergo relinqueretur, circumveniri ab hoste exercitus posset. Relicto igitur Mediolani quantum satis esset militum præsidio, ipse cum ceteris copiis Ticinum contendit.

Gallorum in Italiam adventu, repentina rerum mutatione Italici principes perculsi, in summa animorum perplexitate versabantur; cum maxime timerent, ne prosperis rerum eventibus elatus, ac victoria impotens Galliarum rex, Cæsareanis ex Insubrum possessione ejectis, suum ad arbitrium res Italas componere statueret; cum illi alte animo infedisse videretur injuria, quam sibi ab Italis illatam rebatur, qui vetere illius amicitia, ac foedere relicto, Cæsari accesserant: cujus ulciscendæ, Cæsareanorum debilitatis; fractisque viribus, copiarum